DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

# MEDICINÆ CUM GEOSOPHIA NEXU,

QVAM AUSPICE DEO PROPITIO,

*Et Conſenſu atque Auctoritate Gratioſæ Facultatis Medicæ,*

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

## DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJEST. REG. BORUSSIÆ AULICO ET CONSISTORII MAGDEBURG. CONSILIARIO, MEDIC. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ETC. FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

*Domino Patrono, Præceptore ac Promotore ſuo omni honoris cultu proſequendo,*

PRO GRADU DOCTORIS

*Summisque in Medicina Honoribus & Privilegiis Doctoralibus legitime impetrandis,*

HORIS LOCOQVE CONSVETIS, ANNO MDCCXXV. D. SEPTEMBR.

PUBLICAE AC PLACIDAE ERUDITORUM VENTILATIONI SUBIICIET

AUTHOR ET RESPONDENS

## JOHANNES CHRISTOPHORUS HOMANN,

NORIMBERGENSIS.




*Ioh: Chr. Homann Inven:* *Ioh: Georg Eberſperger ſculpſit Norbergæ*

*Halæ Magdeburgicæ*, typis Joannis Chriſtiani Hendelii, Acad. Frid. Typograph.

# PRÆLOQUIUM.

EXtra omnium credo dubitationem poſitum eſſe, ampliſſimum Medicinæ ſtudium cum ceteris ſcientiis id familiare habere, quod, cum ipſius jam quæque partes peculiari habitu & ſyſtemate poſſint comprehendi, ejusdem unica tantum pars, ſi ad aliqualem perfectionis gradum debeat evehi, non unius ſolum, ſed plurimorum etiam ingenium & ætatem jure meritoque requirat. Hinc ſane e re Medica eſſet, eidemque ſummopere ad ſingularis incrementi cultum expediret, ſi, qui ſe conferunt ad hanc Machaonis artem, eamque quidem univerſam, morborumque ſanandorum rationem ſtudioſe conquirunt, juxta hæc quisque pariter in particulari quadam ad Medicinam facienti diſciplina omnem operam tempusque conſumat ſuum, obſervationesque in his vel illis caſibus ſolide inſtituat, easdemque ſæpius examinatas, quibusvis, quæ contigere, circumſtantiis cum orbe erudito communicet. Hic eſt unicus ille trames, per quem paulatim in ſcientiis ad magnum faſtigium

poteſt perveniri; & quam quam ob longam in Medicina experientiam brevi id tempore fieri nequeat, inventi tamen paſſim ſunt quoquo tempore præſtantis eruditionis viri, qui partium Medicinæ ſumma diligentia peculiarem elaborationem dedere; Hinc Authores conſpicere licet Anatomicos, Botanicos, Chymicos, Phyſicos, Phyſiologicos, Pathologicos, Practicos, quorum frequentes diverſarum rerum obſervationes proſtant. Fuere præterea, qui de hujusmodi diſciplinis, quas non tam pro neceſſario requiſito, quam potius pro ornamento & decoro exiſtimaveris, ſcripſere, earundemque cum Medicina concurrentem nexum uſumque commonſtraverunt. Huc ſpectant *Jatromathematici*, ideo olim ſic dicti, quod cum Medicina Aſtrologiam conjunxerunt. *Vid. Conr. Introduct. in art. medic. cap. 2. Langium Libr. 1. Epiſt. 35.* Nexum alias, quem habet cum Jurisprudentia Medicina, *D. D. Præſes in Jurisprud. Medica*, ut & nexum Theologiæ cum Medicina in *Medicina Theologica* proxime publicæ luci emittenda, ejusque Præfatione *de Luca Medico* oſtendit, conſtitutumque habet, nexum diſciplinæ moralis cum Medicina in ſingulari quodam Tractatu, quem Medicinam moralem collectam inſcribet, aſſerere. Sic *Rhodius* ſcripſit *Medicinam philoſophicam. Zaluzanius* & *Scribonius Medicinam Logicæ* ad normam redegerunt. *Crauſius in programmate* quodam *Matheſin medico neceſſariam* & curioſitatem in Medicina laudandam aſſeveravit. *Pitkarnio Elementa medicinæ phyſico-mathematica* debemus. Uſum *Aſtronomiæ in Medicina* ſpecialiſſime declararunt *Joh. Haſſfurth*, Virdungenſis, *Jacobus Schall*, ar-

gentinenſis, *Cornelius Plejerus* atque alii plures. Propius vero, quamquam non ita plene & exacte, ad Thema Diſſertationis meæ accedunt *Hippocrates, qui de aëre, locis & aquis* fragmenta nobis reliquit, *Quirinus Rivinus in Diſſertatione de morbis endemiis; Excell. Dominus Frider. Hoffmann. in Diſſ. de morbis, quibusdam regionibus familiaribus,* & denique *celeb. Violerius in oratione quadam inaugurali, de multiplici Geographiæ uſu ac præſtantia*, Genevæ habita, in qua hæc potiſſimum inſerta ab eo ſunt: *Medicorum quoque filii, licet eorum ars intra Microcoſmi cancellos contineri videatur, Macrocoſmi ſcientiam, Geographiam nempe inſalutatam haut præterire debent. Namque Machaonia qui doctus in arte, noſſe debet regionum temperaturas, & quo ſub cœlo degunt, & unde qualibet herba potens ad opem, radixque medendi utilis in toto naſcitur orbe, venit.*

Dum itaque nulla adhuc hujus obſervationis meditatio ex inſtituto lucem adſpexit, (quantum mihi innotuit,) in qua proprio & peculiari videlicet ſtudio agitur, qua ratione ſcientia terrarum earundemque incolarum diverſa pro diverſitate regionum conſtitutio in uſus medicos reuocari debeat; Celeb. Medici ordinis in Alma Norica Senior, mihique maxime ſuſpiciendus Fautor hujus ſelecti Thematis monitor fuit perquam benevolus, cujus propoſiti nervum & dignitatem D. D. Præſes ſuo probavit calculo, quod quo magis illico mihi probabatur, eo magis operam nervosque intendere debui, ut nexum Medicinæ cum Geoſophia pro meis qualibuscunque ingenii viribus demonſtratum dem, ſic quidem, ut præcipuas

 cer-

certarum terrarum qualitates, quæ ſeſe in Climatibus, aëre, fructibus, potibus & vivendi genere, conſuetudinibus & moribus incolarum paſſim exſerunt, obſervationum loco quadantenus referam, ex iisdemque deducam, quomodo eam Medicus ad ſuos uſus applicare debeat. Certe multum intereſſe putaram, Medicum tum de ſuamet ipſa, in qua vivit, regione, tum de aliorum quoque Medicorum, quorum ſcripta evolvit, climate, eſculentis & potulentis, vivendi modo incolentium, & quæ ſunt plura, ſollicitum eſſe. Nam quis ex deſcriptis illis adhibitisque in alia regione ſanandi mediis Medico in Praxi ſperandus eſt uſus, & quæ hinc eorundem felix applicatio facienda; ſi non juxta neceſſariam ad medendum requiſitam cognitionem regionis ſecundum aliquas recenſitas qualitates prope habeat perſpectas? Quod ſi enim, immutata medicamenti doſi, aut falſo applicata medendi methodo, quam in Practico exterraneo animaduertit, non ſalubri eventui reſpondeat experimentum, non illi, ſed ipſi ſibi culpam attribuat neceſſe eſt. De cetero vero, cum præſens inauguralis mea Diſſertatio ſpecimen tantummodo atque umbra ſit alicujus ſcripti, cujus ſolidior & curatior deductio ulteriori curæ relinquenda eſt, propterea, ut conatum meum benevolus Lector placida proſequatur mente, enixe rogo, inſuperque precor, ne indignetur, ſi non adæquate omnia & plene exquiſita advertet; perſuaſum vero habeat, nulla re magis me ad omne ſtudium & laudem excitari poſſe, quam ſi mihi conſtabit inpoſterum, de cujusvis in me amore, favore & benevolentia certum me vivere poſſe.

§. I.

## §. I.

UT ſcopum hujus thematis brevibus illuſtriorem reddam, neceſſe eſt, ut definitionem ejus, quod hic pertractandum mihi propoſui, conſtituam. Sed antequam a me hoc fiet, præmittendum erit, Geographiam generaliter plerumque dividi ſolere in Mathematicam, Phyſicam & Hiſtoricam, cujus inprimis Phyſica & Hiſtorica pars qualitatem ipſius Terræ in ſe, & in quot regiones & provincias ipſa diſtribuatur, conſiderat, earundemque Aerem, Terræ fertilitatem, Fructus, plantas, & Incolarum denique mores & vivendi genus deſcribit; inde liquet, has inter globi terreſtris deſcriptiones multa occurrere, quæ cauſæ ad invehendos morbos ſunt, fierique poſſunt, atque adeo doctum Medicum fugere neutiquam poſſunt; ut inde neceſſario ſequatur, in applicatione & praxi Medico perquam utile eſſe, ſi cognitione talium rerum geographico-Medicarum præditus eſt. Quam ſcientiam uno verbo inpoſterum ſemper Geoſophiam appellare placet.

## §. II.

Talis igitur cognitio, ut brevibus complectar, ſeu Geoſophia nihil aliud eſt, quam qualitatum terrarum, & hominum, qui eas incolunt, ſcientia.

## §. III.

Cum itaque cauſæ pleræque morbis ſuppeditentur per ſupra dictas res, neminemque lateat, v.g. aërem multis inquinamentis infectum ortui periculoſarum febrium in corpore humano anſam præbere, verno pariter & autumnali tempore varios Rhevmatiſmos, Catarrhos & ſimilia provocare, per certos cibos, hominumque perverſos vivendi mor-

mores dyſenteriam, febres malignas intermittentes cooriri poſſe; quod vero Medici principalis cognitio in eo conſiſtere debeat, ut veras cauſas & originem morborum ſciat, hinc clare patet, in Medico etiam Geoſophiam hancce deſiderari poſſe.

§. IV.

Labor hinc præſens eo redundat, ut multiplicem uſum nexumque, quem habet Geoſophia cum Medicina, demonſtrem, & id quidem efficiam primum in Theſibus aliquot præliminaribus, quæ particulares indicationes in ſe continent; deinde in ſpeciali tractatione, quæ de iis morbis, incolarum conſtitutione, corporis & terræ qualitate, cum hoc vel illo climate cohærente, aget; præterea idem nexus oſtendetur in Capite altero, quod morbos endemios, qui non unice & tam neceſſario a climate, quam potius ab aliis intermediis cauſis dependent, pertractabit; & quidem ea ſemper phænomena, quorum potiſſimum ratio eſt habenda, quaſi demum obſervata ſint, licet diu jam nota, præſuppoſitorum loco præmittam, ut eo clarius perſpici poſſit, quomodo Medicus, talibus obſervationibus bene applicatis, tanquam a priori ſtatim cognoſcere poſſit, qui paſſim morbi graſſentur, & quomodo illis ſit reſiſtendum.

§. V.

Harum Theſium præliminarium ut initium faciam, notatu dignum eſt, contra eos morbos, qui in certis provinciis ſedem quaſi fixam habent, plerumque etiam ejusmodi herbas mediaque, quæ talibus medentur, ibi creſcere & inveniri.

§. VI.

Ut hoc ipſa confirmem experientia, & ſaltem de notioribus

ribus ſignificem, conſtat, in iis terris, quibus *Scorbutus* infeſtus eſt, *Cochleariam* copioſe contra hunc produci. *Lignum Guajacum* tanquam probatum antivenereum iis in locis frequentius in ſubſidium eorum, qui tali malo laborant, creſcit. Pari ratione legitur, in America arborem reperiri, cujus umbra homines ſub ea jacentes veneno inficit, contra quod vero in vicinitate herba, Zellboqui dicta pro remedio uſurpatur. Præterea contra *ictum ſcorpionum* etiam *oleum ſcorpionum* apprime inſervire dicitur. Non inepte igitur *Rivinus in Diſſ. ſua de morbis endemiis* ſtatuit, quod ſi quem fugeret, qui morbi huic regioni familiares ſint, id ex multitudine creſcentium ibi herbarum ſecure concludi poſſe.

§. VII.

Ex his ſequitur, optime & cum natura convenientius agi, ſi qui in regione particulares morbi ſæviunt, ipſiſſimis ejus terræ plantis herbisque ſanentur, hæque omnibus aliis præferantur.

§. VIII.

Cur vero ad ſanandos morbos provinciales hæ herbæ magis conducant, inter alias videtur mihi hæc non minima cauſa eſſe, quod Deus optimus Medicus & Creator omnium pro benignitate & infinita ſua ſapientia prudentiſſime voluerit, ut ſi quibus malis tanquam perpetuis hoſtibus infeſtatur aliqua provincia, eadem iterum ſuamet propria arma, puto proprias ibi creſcentes herbas aliaque remedia domeſtica, quibus reſiſtat, in promptu habeat, nec aliunde difficulter conquirere cogatur. Sed quis objiciat, in hujusmodi morbis extranea quoque remedia adhiberi, nec ſecundo opus eſſe, ut conſtituto caſu neceſſitatis ex aliis provinciis medicamenta petantur, cum eadem commoditate exotica pariter ac domeſtica remedia in Pharmacopoliis conficiantur?

tur? ad primum reſpondeo, non equidem adhuc firmum ratumque eſſe, an in hujusmodi caſibus exotica id, quod nobis de iis pollicemur, præſtent; quod alterum attinet, non nego, rebus navalibus & commerciis ſtabilitis, exotica pariter ac domeſtica in pharmacopoliis comparari poſſe; at quæro, quomodo tunc, rebus navalibus atque tabernis pharmaceuticis in flore nondum conſtitutis, morbi ſint ſanati; & quam miſere actum fuiſſet cum Indis aliisque peregrinis diſſitisque populis, qui neque de nobis, neque de noſtris medicamentis, neque nos de ſuis quid cognitum habuimus, & quomodo ipſis ſalubre ferendum erit conſilium, qui pretioſa exotica remedia ob curtam ſuam ſupellectilem comparare haud poſſunt? Neque nunc de noſtris multa poſſident, cum plura remedia nos ipſis debeamus, quam ipſi nobis, nec diffiteor, pro nunc talia remedia multo anxius, quam olim nobis requiri & comparari debere. Nam quod a peregrinis populis alios cibos, aliudque vivendi genus recepimus, eo ipſos morbos ipſis familiares, nobis communes fecimus. Hinc facile concipi poteſt, eorundem populorum, atque adeo multo ipſis plura nobis medicamenta eſſe adhibenda.

§. IX.

Ut rem altius petam, herbæ domeſticæ naturæ etiam incolarum convenientiores ſunt, dum in eodem Climate producuntur, & conſequenter adeo id principiorum, quæ hominibus per potum cibumque, itemque per reſpirationem ex aëre ingenerantur, in decenti cum hominibus relatione conſtitutæ ſunt. Nam dum principia in aëre & Terra pro temporibus anni inter ſe differunt, & v. g. vel ſubtile vel craſſius principium vi ſtructuræ mixtionem corporis ingreditur, è contrario plantæ, alius quam hominum, mixturæ & ſtructuræ, ex aëre terraque ſi non illorum diverſa, tamen alio modo modificata & alterata principia aſſumant, vi quorum neceſſe eſt ipſas recipere in ſe convenientes virtutes

tutes & effectus, qui quaſi in ſuo producto pariter cum mixtione incolarum de novo conſentiunt. Quam rationem vero non nudam eſſe ſpeculationem, ſed aliquo modo cum ipſa re concordare, inde demonſtro, quod, dum in curationibus morborum per remedia contraria parum ſæpe commodi, ſed multo potius damnum efficitur, & contra citius talia remedia cum fructu uſurpantur, quorum principia tamen cum cauſa ejus, quod curari debet, concurrunt, in ejusmodi ſpecificis etiam talia attributa atque virtutes morbis analogas deprehendamus. Nam e. g. in ſcorbuto accuſatur ſalſedo & acredo humorum; & naſturtium, ſynapi, cent. min. chelidon. minus ac Cochlearia ipſa conſtant ex principiis ſalinis, acribus. In febribus æſtus febrilis adeſt, & tamen extra paroxyſmum applicantur diaphoretica, quæ pariter calefacientia remedia novimus. Idem fit in inflammationibus cum diſcutientibus, utpote ſunt Spiritus, Camphora, æſtum quoque provocantibus. Præterea huc pertinet curatio frigore enecatarum partium, quibus non ita ſtatim calida, ſed potius frigida adhibentur. Idem obſervandum in curis derivantibus; nam ſi ullibi vehemens ſit motus, ſive inflammatio ſive congeſtio ſit, non ideo ſtatim talis motus ſedantibus, aut adſtringentibus & anodynis ſuffocandus, ſed in alium locum ejusdem vehementiæ motus eſt ciendus, qui plerumque frictionibus, fomentis, pediluviis, purgationibus, diureſibus, ſcarificationibus, veſicatoriis, imo ipſis ambuſtionibus excitatur. Cur vero in hujusmodi curationibus & circumſtantiis ſæpius memorata remedia analoga feliciter medeantur, melior alia ratio nulla mihi videtur, quam quæ in Chymicis locum etiam habet, quod nempe ſimilia ſimilibus ſolvantur, cum talium plantarum principia, quæ cum materia peccante vel motu commune quid at vero quoque correctius habent, melius id, quod eſt expellendum, invadere atque ſolvere poſſunt.

B §. X.

§. X.

Morbi certæ regioni familiares, ſæpiusque ibi dominantes non æque tantis periculis atque difficultatibus obnoxii ſunt, quam ſi tales in alias terras propagati atque tranſlati ſunt.

§. XI.

Si rem penitius intueamur, cauſa hujus phænomeni in hoc ſeſe primum exſerit, quod cum quævis terra, quemadmodum jam jam intelleximus, propria ſua contra morbos endemios poſſideat remedia, ad hoc quoque Medici cauſam, progreſſum & Typum morborum ope multiplicis experientiæ cognitum exploratumque ſatis habeant; tali ratione initio mox hujusmodi morbis obveniri, iisdemque notoriis quaſi jam jam remediis reſiſti poſſit. Rurſus, frequentia morbi in naturis incolarum talem reperit reſiſtentiam, ut non ita facile, quemadmodum aliis in locis, ubi rarior morbus eſt, pernicioſum eventum producere poſſit. Patet ratio: in illo enim caſu carent homines faſtidio, terrore & timore, quæ contra omnia facile excitantur iis, qui non adeo morborum peregrinorum aſſueti ſunt. Nudum faſtidium, formido & timor tantum valent, ut inde exitiali morboſa quis poſſit corripi afflictione priusquam ipſe morbus in corpore certam & perfectam ſedem fixerit; quæ non raro contingunt in terris noſtris peſtilentiæ temporibus, ubi qui peſte, multi etiam pavore extinguantur. Conſtantinopoli vero ubi peſtis ſingulis ferme redit annis, atque adeo incolis non ignota eſt, ſecundum proportionem magnitudinis urbis non ita multi ac apud nos in compendioſiori fit, pereunt.

CAPUT

# CAPUT I.
## DE
## CLIMATIBUS PRINCIPALIORIBUS ET COGNITIONIS ILLORUM USU IN MEDICINA.

§. I.

QUoniam propoſui, hoc in Capite de uſu ex cognitione Climatis in Medicinam redundante quædam diſſere, antea præmittendum eſſe judico, tantum tria me Climata principalia & generalia pertractaturum, & quidem Clima frigidum, calidum & temperatum, ex quibus ſufficiens ſuppeditatur materia ad demonſtrandum, facultatem illis per ſe & ſua natura ineſſe, ut ad cauſas morbi æque ac ad plantas producendas, tum etiam ad certum vivendi genus & mores incolarum non pauca conferre queant. Non vero hic mihi intelliguntur ordinaria illa Climata, quorum ab Æquatore usque ad Polos 24. numerare ſolemus, & quibus Numerus horarum, quam hoc vel illo die longus ſit dies, indicatur. Neque per ea hic indigitantur notiores Zonæ, quæ Tropicis Termini ſunt; ſed potius per Climata hic intelligo eas Temperaturas aëris, quibus illæ Terræ ſubjectæ ſunt, quæ, ſi Hemiſphæria ab Æquatore vsque ad Polos in 3. partes æquales quis divideret, his tribus Spatiis comprehenderentur, quæque adeo a communibus zonis etſi non multum, tamen aliquantulum differunt. Præterea eæ terræ Clima frigidum, calidum vel temperatum agnoſcunt, quæ maxime harum aliquam qualitatem præ ſe ferunt & ſecundum quam ita appellari merentur. Hic factum, ut vocabulum zonæ negligerem & Climatis uterer expreſſione, & quidem ita hanc materiam perſequar, ut ſaltem, quatenus frigida vel calida ſint, in genere operentur, exponam. Certas enim provincias in ſpecie contemplari ſecundum Climata ſua, longiorem, quam hic decet, ſermonem inſtituere requireret.

§. II.

Ex breviter allata indicatione apparet, ſæpius alicujus terræ clima ob varias rationes, quarum nonnullas allegabo, merito alio, quam quo audiunt, nomine appellari poſſe; & hoc vim ſuam habet in applicatione, ubi data occaſione, judicium de regione ſiſti oportet vel inquiri, qui morbi ibi dominentur, qualis ſit incolarum conſtitutio corporis, quæ ibi vi Climatis plantæ reperiantur, aliaque plura; exempli loco poteſt eſſe Chili in America meridionali & Zona temperata ſita, quæ id ſingulare habet, ut propter incredibilem montium altitudinem, in ipſa æque ac vicinitate tam intolerabile frigus deprehendatur, & tantæ vehementiæ venti vagentur, ut homines pariter ac pecora frigore adſtricta enecentur, & in tali ſtatu per multorum annorum ſpatium ſtantes permaneant, adeo ut magis Clima frigidum dixeris. Iterum ex Itinerariis videmus, in plurimis provinciis ad æquatorem ſitis, cum primis vero in America, in Terra firma, quando ſole verticaliter conſtituto ſummus æſtus exiſtere deberet cœlum nubibus plerumque obtectum aërem ſemper temperatum cauſari, atque adeo Clima temperatum, licet in Zona Torrida ſitum, magis dici poſſe. Præterea notum eſt, Hiſpaniam, Græciam, cum primis vero Siciliam & regnum Neapolitanum, ob ignes ſuos ſubterraneos, qui in horrendis terræ motibus & ignivomis montibus, ut & incredibili æſtu meridiano ſe exſerit, magis pro Climate torrido, quam temperato haberi poſſe. Quibus exemplis apparet ſolidum non prius judicium Medicum ſiſti poſſe, ſi non de qualitate terræ ex Geographicis hauſta ſit cognitio.

§. III.

Ex conſideratione Climatum, ut quædam nunc Corollaria deducam, ponderandum primo Clima frigidum, quod in maxima parte Ruſſiæ, Sueciæ, Norwegiæ,

magnæ

magnæ Tartariæ, Islandiæ, Gronlandiæ, Canadæ, Americæ ſeptentrionalis regione deprehenditur, (ut hic de locis circa antarcticum Polum ſitis & Terræ Magellanicæ adſitis nihil dicam) atque tali ratione ſe exerit: Horum populorum ſphæra eſt parallela, id eſt, polus ſuper caput ipſorum conſtituitur, æquatorque Horizonti ſenſibili parallelus eſt, & in plano rationalis. Sol, qui per ſex menſes infra æquatorem, & per ſex alios menſes ſupra æquatorem, curſum ſuum conficit, atque eo ipſo non multum ſupra Horizontem adſcendit, radiis ad latera tantummodo protenſis non tanto calore lucet, ac adeo, cum ipſum frigus ſimplici conceptu defectus caloris dicatur, neceſſario tantum cooritur frigus, ut maximam partem anni flumina, lacus atque ipſum mare frigore concreſcant, nec prius iterum reſolvantur, quam terra ſolem rurſus ſupra Horizontem per aliquot jam hebdomadas adſcendentem habuerit. In montibus acutis, Nova Zembla, & Gronlandia, terris proxime verſus Polum ſitis per totum annum montes quaſi & colles tectis glaciei

convolutis cernuntur. Ita vero incolas premit frigus, ut hominibus in via nares, digiti, aures, pedes, animantibus vero v. g. canibus pedes frigore pereant, ſic ut impeditum curſum non amplius promovere de loco in alium poſſint; quid mirum ſi ipſum ſputum nondum ſolo præcipitatum congeletur, eamque ob cauſam cadavera multos annos ab omni corruptione immunia permanent.

§. IV.

Frigore itaque in his terris tanta vehementia furente, conſiderandum ex Phyſica, gelu vim adſtringentem & coagulantem habere, atque hinc humida & quidem præcipue Sanguinem craſſiorem reddere, circuloque libero Sanguinis & Tranſpiratione inſenſibili impedita, humores, quod citius libentiusque exteriores partes frigus invadit, in corpus retrogredientes efficere, ex quo paſſim ſtaſes, & ob has ſpasmos cooriri neceſſe eſt; cauſa hinc morborum in regionibus frigidis ſolitorum liquido patet; nam ubi primum refrigeratio fit vehementior, ibi ſtatim affectus proditur, & e.g. in qua parte corporis ſtagnatio latet, hoc nomine morbus ſpecialiter notatur; quod ſi vaſa cerebri oppleta ſint, inſequiturque ſtaſis, tunc vertigo, affectus ſoporoſus, apoplexia exinde oriri poteſt; ſi ſtaſis ſit in abdomine e.g. in viſceribus, contingunt affectus torminoſi colici; ſi accidit in extremitatibus partium, fluunt exinde perniones, tumores; & ſi cum minori frigore humidus aër coëxiſtit, non deficiunt Rhevmatiſmi & defluxiones; ſi impuri ſucci adſunt, nec Tumores diſcutiuntur, exulcerationes & tales etiam morbi,

bi,

bi, quibus hyberno tempore etiam extra Climata frigida homines obnoxii eſſe ſolent, invehuntur. Horum effectuum frigoris cum ſeptentrionales populi non expertes, in ſuis regionibus ingentem copiam Urſorum, Vulpium, Luporum & Muſtelarum Scythicarum habeant, harum ferarum pellibus ſe contra gelidum aërem munire, ſtrenuosque labores ſuſcipere ſolent, quibus Tranſpiratio inſenſibilis ſatis decenter promovetur; quantum opus habeant, tantumque abeſt ut frigore multum violentur, ut potius vehementiori tranſpiratione impedita, corpora rudiora robuſtioraque efficiat, imo naturam frigori aſſuetam ſenſimque inſenſibilem fere reddat, ex quo dijudicari facile poteſt, cur homines ſeptentrionales tam perdurabili & forti corporis conſtitutione gaudeant, atque hanc ob rationem Clima frigidum ſanitati corporis convenientiſſimum haberi poſſit.

§. V.

Climati calido ſubjecta ſunt Hiſpania, maxima pars Italiæ una cum Inſulis maris mediterranei, Græcia, plurimæ ceteræ partes Turciæ, Arabia, Perſia, India, maxima pars Chinæ, Imperii Mogolis, Iaponiæ, univerſa Africa, pars Americæ ſeptentrionalis, & plurima pars Americæ Meridionalis, ſtrictiori vero ſenſu omnes eæ terræ in Zona Torrida ſitæ. His populis partim perfecte, partim aliqualis recta ſphæra eſt, id eſt, æquator ſuper caput ipſorum conſtitutus, ſecat Horizontem ad angulos rectos; ſol, quod intra utrumque Tropicum curſum

ſum tenet; in meridie incolis extra Zonam Torridam certis temporibus haud ita procul ſuper caput adſcendit, in Zona Torrida vero plene verticalis fit, radiosque directos projicit; ex quo fit, ut aliqui loci a nemine penitus, aliqui vero certis anni temporibus habitari poſſint, quemadmodum e. g. legimus, Lybiam, ubi præter æſtum arenæ multitudo & aquarum inopia concurrit, omni habitatore deſtitui; in provincia Perſiæ Chuſiſtan tam ingens æſtus eſt, ut ad tempus incolæ ſedibus ſuis relictis verſus montana confugiant. Res pariter notoria eſt; plurimis in locis Italiæ, Hiſpaniæ in meridie pauciſſimos vel neminem penitus in plateis & viis animadverti. Imo intolerabilis talis ſolis ardor eſſet, & terras inhabitabiles plane redderet, niſi ſequentes circumſtantiæ concurrerent, e. g. diei noctisque plurimum æquata eſſe tempora, conſequenter æſtum frigido nocturno aëre temperari, deinde cumprimis in Zona Torrida continuo ventos flare, tantæ aliquot in locis vehementiæ ut e. gr. in Barca & Numidia integros pene tumulos ex arena coacervatos paſſim

cernas, imo ſæpius hiſce univerſæ illæ ſocietates itinerariæ ſepeliantur; ſic & in nonnullis littoribus Perſicis tanto furore ſævit ventus, ut ibi proficiſcentibus hominibus vitam adimere valeat. Præterea pluviæ circa æquatorem diverſis anni temporibus ſatis frequentes ſunt, quæ nimium æſtum moderantur, fertilitatemque terræ conciliant. Ægypto ob non ſufficientes pluvias ſpecialiter datum, ut ſingulis annis regnum inundet Nilus, & pinguiori terra relicta ipſum fœcundet.

§. VI.

Quam valde temperatus conducit calor, tanto magis noxius eſt torrens æſtus; Nam quibus ſufficiens humor, amplaque vaſa ſunt, nimis fluidum fervidumque ſanguinem ibi reddit, quem contra craſſiorem ſtagnantemque cauſatur iis, qui craſſos humores, anguſtasque vias poſſident. Etenim nimia tranſpiratione humiditates ſanguinis penitus conſumuntur & exſiccantur; hi bini effectus ab æſtu provenientes cauſas dant multis morbis, imprimis multi generis febres utplurimum ſatis periculoſas excitant. Nam quod ſi magno appetitu frigidus potus hauriatur, corpore adhuc & ſanguine per motum in fervore exiſtente, febres inſequuntur continuæ, inflammatoriæ, quæ, niſi caute tractentur, phthiſin & Hecticam pariunt. Quod ſi in concitato corpore animi pathemata cooriuntur e.g. ira, non procul abeſt febris bilioſa, & quæ Hippocrati vocatur lethifera; ſi exceſſus Veneris patrantur, hos excipit lues venerea periculoſæ qualitatis, qua Americani inprimis laborant, quæque



ab

ab his ad Hiſpanos, Neapolitanos & Gallos, ab his denique per Contagium ad Germanos propagata eſt. Quod ſi in tali ſupra dicto ſtatu homines impuro nec probato potu fruantur, febres, quæ caſtrenſes aut Hungaricæ dicuntur, non infrequentes ſunt. Inordinata, humilis & ſordida diæta, nec non neglectus veſtium & mundificationis corporis ſecundum quorundam auctorum ſententiam non male fundatam, Lepram, Elephantiaſin generant, qua potiſſimum Arabes, Æthiopes, omnesque alii eodem hoc vivendi genere utentes infeſtantur, cum contra Turcas eodem ſub Climate degentes, ob ordinatam diætam & perpetuam corporis mundationem hujuscemodi morbi immunes relinquunt. Ulterius legitur, cumprimis in Ægypto, Nilo poſt inundationem iterum defluxo, relinqui multas glutinoſas & limoſas aquas, quas dicunt una cum iis, quæ ob inopiam pluviarum & fontium in lapideis alveis illis in regionibus aſſervantur, ingenti vi æſtus corruptione corripi, atque deinde adeo impuris atomis inficere aërem, ut ſingulis fere annis febres malignæ, contagioſæ, peſtilentiales ibi ſæviant, quæ ſeſe non per Turciam modo, ſed etiam aliquando proh dolor! ad nos usque in Europam extenderunt, qualem funeſtum caſum non ita diu Gallia experta eſt. Non melius multo agitur cum iis regionibus, quæ locis paludoſis confines ſunt, ubi incolæ exhalationibus inde evaporantibus inquinati, febribus catarrhalibus, epidemicis, aut ſcabie ferina, dyſenteriis aliis acribus fluxibus alvi, rhevmatismis, atque ceteris laborant; quæ confirmantur jactura multorum militum in expeditionibus aut præſidiis munimentorum, e. g. Philippiburgi, Temeswariæ atque aliis in locis, *conf. Lanciſius de noxiis Paludum effluviis.*

§. VII.

Porro nunc oſtendere mihi incumbit, per tale Clima ejusmodi Temperamentum incolas nanciſci, ut ad nimiam iram immanemque crudelitatem & Tyrannidem ferantur,

cujus

cujus nobis hiſtoriæ imperantium in Fez & Marocco, imo omnium fere Africanorum, Æthiopum, Perſarum, Indoſtanorum, nec non Sineſiorum & Turcarum exempla præbent. Accedit ad idem meum argumentum, omnis generis fera & rapacia hiſce in terris animantia inveniri utpote ſunt Leones, Tigres, Elephanti, Cameli, &c. Taceo, ſub his Climatibus multa venenoſa Animalia & inſecta produci, quæ non minimum habitantes, vexant, nec infrequenter iis morbos contrahunt, de quibus poſtea pluribus dicendum. Inter has moleſtias nec variis Dei donis ac muneribus carent torridæ hæ regiones; quem enim latet, aliquam ad materiam medicam ſpectantium ſubjectorum ex calidis iſtis regionibus partem nobis apportari, quæ eadem cum locis ſuis natalibus calida qualitate fruuntur, quorumque copia probataque bonitas, quas ſupra memoravimus, afflictiones & ærumnas, tollere, morboſumque caſum domeſticum expellere, ſuo quoque loco applicato, valet. Præter hæc medicamenta incolæ alia quoque contra nimium æſtum remedia uſurpent. Nam in meridie, ut in Hiſpania, Italia aliisque compluribus locis fieri ſolet, ut nemo in vicis obambulans ſpectetur. In nonnullis locis altius exſtruunt domos, ut tum aliquam umbra in plateis refrigerationem perſentiſcant, tum etiam inferioribus conclavibus, præſertim eorum fontibus vel aquis artificioſe ſalientibus, ſi quæ adſint, majori cum voluptate uti poſſint. Sic hiſtorici quoque rerum peregrinarum referunt in Itinerariis ſuis, Arabum morem eſſe, ut noctu in humectatis linis vel etiam ipſis in alveis aquarum dormiant, unde vero viciſſim varia corporis afflictio oritur.

§. VIII.

Progrediendum ad tertium genus Climatum, temperatum puto, vel illud, quod calida inter & frigida Climata continetur,

 ubi

ubi patet, hujus Climatis partes complecti ſuperiorem Hiſpaniam atque Italiam, Helvetiam, Galliam, Belgium, Angliam, Germaniam, ex parte Daniam atque inferiores partes Sueciæ & Ruſſiæ, pariter plurimas terras Tartariæ majoris & minoris, Boruſſiam, Poloniam, Bohemiam, potiſſimam Hungariam, in America Loviſienſes, Novam Hollandiam, Novam Angliam, ad Terram Magellanicam, atque plures alios particulares populos. Omnium horum ſphæra eſt obliqua, vel talis, ubi horizontem æquator oblique ſecat, Phœbusque radiis obliquis orbem illuſtrat, atque adeo frigidum inter & æſtuoſum moderatum aërem efficit, hoc tantum diſcrimine relicto, ut quæ calidis Climatibus proximiores terræ ſunt, calidiorem æſtatem habeant, lenioremque hyemem; quæ frigidis Climatibus magis confines ſunt, vehementiorem hyemem, æſtatemque minus calidam experiantur, magisque verſus ſeptentrionem degentes incolæ, longiores aliis æſtivo tempore dies, in hyeme vero protractiores noctes peragant, atque adeo ſole ſupra æquatorem altiſſime

conſti-

conſtituto, clima calidum, & remotiſſime infra eum lucente, clima frigidum nanciſcantur, & ut brevi complectar, concurrentibus utriusque attributis majoribus atque frequentioribus uno anno mutationibus quam in utroque illo frigido & æſtuoſo Climate obnoxii ſint, dum neceſſario ex his nexu quatuor anni tempora oriri neceſſe eſt, æſtatem nempe, quam tempeſtates, æſtus, pluviæ, & nonnullis in locis terræ motus, hyemem, quam nix, grando, frigus arborum denudatio atque plantarum quaſi mors comitantur. Quoniam vero ordinarie non ſubitanee tales mutationes, ſed ſucceſſive accidunt, nec hyems nec æſtus ſuos tramites excedit, populis locupletiſſima ac refertiſſima ſunt Climata.

§. IX.

Poſtquam igitur hoc tam facile & ſæpius mutabilis aëris Clima cognovimus & pariter tam idoneis argumentis poſſumus deducere, cum ſpecialem non ſolum in eo mutationem ut ſunt autumnus & ver, tum etiam integrum Clima in genere conſideratum plurimis morbis ſubjectum eſſe, quam e contrario aſſeverare poſſem, quod quo immutabilior eſſet & per totum annum perſeverantior nec ullo modo impedita aëris temperies, eo nihil firmius, nihil convenientius omnium & aptius ſanitati humanæ conſervandæ in toto terrarum orbe haberetur. Etenim dum perſpectum eſt,

diverſas generales mutationes uno anno accidere; harum vero quæque aliis iterum Climatibus, e.g. æſtas Zonæ Torridæ, & hyems frigidæ ſimilis eſt, his vero ſingulares morbi ſupra notati communes atque adeo morbi Climatum frigidornm æque ac calidorum conjuncti ſimul ſunt, cauſa patet, cur morbis copioſius quam in aliis hic abundemus, quos recenſere nimis longum foret plenumque Catalogum requireret, ideo, quod ex ſummis his mutationibus caloris, frigoris, ariditatis & humiditatis multi morbi fontem ſuum & incrementum haurire poſſunt, quibus addendæ cauſæ internæ & externæ morales, phyſicæ, naturales, violentæ. Climatibus vero tali ratione conſtitutis, mireris contra ceterarum omnium rerum, quas DEUS tribuit ad hanc vitæ commoditatem, confluentiam, ſiquidem hic producuntur non tantum, quæ ad neceſſarium æque ac commodum vitæ cultum ſpectant, ſed & copia remediornm, quibus his morbis medela dari poteſt, ſufficiens adeſt. Nec porro impedit hoc Clima temperatum, quo minus ii fructus, plantæ, & Animalia, quæ ordinarie ibi non generantur, addito ſtudio & diligentia hortulani, vel eorum, quibus in aulis principum cura exoticorum animalium tradita eſt, in incremento ſuo & vivacitate conſerventur, ad quod perficiendum contrarium clima vix capax idoneumque habendum.

§. X.

Antequam finem capiti huic de Climatibus imponam, addo adhuc, quod ſi vires hujus Climatis, nempe temperatura aëris, datique loci ſituatio ceteraque qualitas, an ſc. aquas, locos paluſtres vicinos habeat, utrum in arena, monte vel planitie vel alius ſitus loci ſit, bene examinentur & ſub incudem revocentur, quædam tandem veſtigia erui poſſe, quomodo *doctrina de geneſi plantarum indagari* & ad certa principia reduci poſſit, ut rationem inde reddere valeamus, quare herba ſponte creſcens dato loco nec alio creſcat, e.g. ſpeciminis loco obſervatum eſt, in ſylvis, quarum fru-

tices ſolo radios ſolares demunt, umbramque relinquunt continuo durantem, ad hoc, pluviæ non tam facile ſolis calore in aërem iterum evaporant, ſed penitius a terra imbibuntur, atque adeo conſequenter principia ſalino-nitroſo-acida terreſtria concurrere copioſius neceſſe eſt, plurimas etiam hinc plantas re vera *adſtringentes eſſe*, ceu arbores & cortices betulæ, fraxini, Quercus, Bugulæ, Frangulæ, item glandes, caſtaneæ, gallæ, herbæ, Saniculæ, Tormentillæ, Alchymillæ, pyrolæ, baccæ myrtillorum atque plura alia. Locis petroſis, montanis & arenoſis, ubi humores quaſi per filtrum tranſeunt, ſtatimque exſpirant copioſusque calor per radios ſolares ibi colligitur, plerumque ibi etiam herbæ *aridæ calidæque indolis* inveniuntur ceu ſunt Juniperus, Carlina, Anchuſa, Serpillum, Centaurium minus, Scabioſa tenuifolia, verbaſcum nigrum & complura alia. In Locis umbroſis atque viis, quo per obambulationem vectionemque ſordes limoſa atque gelatinoſa ſenſim transfertur, pluviæque præcipitatæ in parvis lacunis ſeſe colligere poſſunt, utplurimum herbæ *ſubadſtringentes*, imprimis vero *emollientes* atque frigidiores creſcunt, ut ſunt Plantago, Millefolium Bardana, Malva, Bryonia atque alia. Ad flumina & lacus humoribus abundantes pariter huic principio conformes ſimilesque herbæ pariuntur, *ſucculentæ nimirum & refrigerantes*, arundines puta, Typhæ aquaticæ, Tuſſilago, Nymphæa, Beccabunga &c. Ad paludes & Lacunas, ubi aqua immobilis corruptioni obnoxia eſt, ejusdemque effluviis aër infectus noxius eſt & malignus cum iisdem principiis convenientes herbas invenies, quarum effectus *vehementes*, *purgantes*, acres & partim *venenoſi* ſunt, quorſum referuntur Petaſitis, Olsnitium, Chelidonium minus, Acorus, Ranunculus aquaticus, Naſturtium aquaticum, Alſine aquatica, Cicuta aquatica, Iridis ſpecies &c.

de

de quibus poſtremis evolvendus *D.D. Frid. Hoffman. Cap. IV. de venenis in aëre contentis epidemicorum morborum cauſis* §. 16. *pathologiæ generalis part. II.*

§. XI.

Tribus igitur principalibus Climatibus ſecundum qualitates ſuas, effectus, eorumque in corpus humanum redundantes utilitates æque ac noxias, perponderatis, hanc vel illam diverſarum terrarum indolem, naturam & qualitatem accuratius nunc obſervabimus, & ex hiſce obſervationibus, quod utile & perniciosum in machina hominis exoriri poteſt, cum neceſſariis circumſtantiis ſuis ſignificabimus.

## CAPUT II.

### DE CAUSIS MORBORUM QUORUNDAM ENDEMIORUM CUM NONNULLIS REGIONIBUS CONFORMIBUS.

§. I.

NOnnullis in locis Belgii & Germaniæ, cumprimis vero in Anglia ingenti copia Carbones litanthraces lignorum loco ad ignem faciendum adhibentur, & præter id, quod Anglia utplurimum mari circumdetur, magna ibi eſt ingentium fluviorum multitudo, ex quibus verno, autumnali & hyemali tempore tanta copia humorum fit evaporatio, ut modo dictis temporibus per aliquot hebdomadarum ſpatium, cœlo nubibus obducto, turbida exiſtat tempeſtas.

§. II.

§. II.

Phthiſis cum in corruptione pulmonum ex prægreſſo ad pectus humorum vel ſanguinis ſtagnantis decubitu conſiſtat, in Anglia vero maxime humidus aër copioſos humores catarrhales ſimilesque decubitus ad pectus efficit, & frequentes vapores ſulphurei, impuri & acidi vim incraſſantem inæquali motu ſanguinem irritantem, & conatum aliqualem ſuffocationis imminentis cauſantur, (quod in communi experimento accenſi ſulphuris advertitur) & denique notum eſt, ad corpus corruptione reſolvendum cumprimis principium aquoſum & ſulphureum requiri, facile hinc concipi poteſt, cur in Anglia magis quam aliis in locis phthiſi tanquam morbo endemio incolæ laborent: ſed & alibi, ubi eædem cauſæ concurrunt, phthiſis prævalet; Nam e. g. cum Halæ hic olim majori copia carbones foſſiles comburerentur, multi, quibus jam ad phtiſin aliqua diſpoſitio contracta erat, diutius cum periculo vitæ commorabantur, qui, ni hinc diſceſſiſſent, mortis ſuæ cauſam, phthiſin habuiſſent. Alias & apud Hiſpanos, Luſitanos & Gallos non infrequens hic morbus eſt, ubi vero potius in Tabe & exareſactione corporis conſiſtit, nec proprie exacta phthiſica pulmonum corruptio eſt, quam tamen oriri poſſibile eſt, dum propter clima calidum congeſtiones ad pectus, molimina hæmorrhagica & hæmoptyica & ex his demum talis morboſa corporis conſtitutio inſequitur. Anglorum vero liberi, qui pro indole inſantiæ & iuventutis, habitu ſpongioſiori & laxiori prædití atque adeo ſenſibiliores ſunt, non tantum ex ſupra adductis, ſed aliis quoque cauſis e. g. ex vitio lactationis, refrigerationibus externis, tabidum & atrophicum conſpectum ſubluxatione membri cujusdam conjunctum ſibi contrahunt, qui affectus Rachitis vel Tabes dorſalis audit, plurimisque morbus hæreditarius eſt, qui facile tolli non poteſt, præſertim ubi initio affectus medela congrua poſita haud fuit; ſi vero tempeſtive obvenitur reſolventibus, lenioribus laxantibus & nervinis quoad interna &

externa, facilius, ſi nulla hæreditaria diſpoſitio adeſt, curari poteſt.

§. III.

Miſnia, Thuringia, Auſtria, Franconia ſunt iſtæ Germaniæ provinciæ, quæ diviti vini proventu gaudent, quemadmodum populi magnam ejus copiam conſumunt, cujus vero bonitas & effectus ab aliis vinis Germaniæ, puta vino Rhenano, Steinenſi, & deinde ab exoticis multum differt, obſervatumque eſt, ſupradictorum vinorum maximam partem plus calcaream tartareamque præ aliis indolem habere.

§. IV.

Quanquam Nephritis & Calculus non quidem e ſolo potu & diæta admodum vinoſa originem ducunt, ſed ex pluribus cauſis proficiſcuntur; certe tamen negari non poteſt, in hominibus, qui juxta diætam lautam, in calidioribus climatibus degunt, vel etiam absque hac altera concurrente cauſa tantummodo molimina hæmorrhagica vel ipſas hæmorrhagias perpeſſi ſunt, ex tali potu vini ſpirituoſo frequenti terreſtribus particulis calcareis & tartareis commixto, haud dubie nephritidem & calculum generari poſſe; Etenim ſi congeſtiones ſanguinis ad renes vel molimina hæmorrhoidalia contingunt, & talis vini potus vi ſalis ſui diuretici, quod ad urinam emittendam fortiter ſtimulat, tales quoque particulas terreſtres affert, renes ſucceſſive non modo arroduntur, ſed & colliimant ibi materiæ quædam limoſæ lapideæ, ut initio ſabulum & denique calculus generetur. Quod vero hoc reipſa ſeſe habeat, non ignotum eſſe poteſt, in ſupradictis provinciis Nephritidem & cal-

calculum communiter homines moleſtare, cum contra in Turcia, ubi vini uſus in Alcorano prohibetur, raro vel nunquam tales affectus, quin imo nec podagra, nec chiragra, nec quid hujusmodi reperiatur.

§. V.

Quemadmodum obſervatum eſt, vina in ſupra memoratis regionibus & ad Danubium progenerata, ſingulares quasdam qualitates poſſidere; ita etiam ex multiplici experientia patet, Rhenanis, Ungaricis, Italicis & partim etiam Gallicis & Hiſpanicis vinis multa de principio ſulphureo ineſſe, idque ſeſe in effectibus eorum exerere.

§. VI.

Ex quibus facile ratio conquiri poteſt, cur contra Rhenani, Neapolitani, Ungari atque ii omnes, qui quorum meminimus, vinis utuntur, ſenes podagra, gonagra, chiragra, vehementer & cum ingentibus doloribus vexentur. Etenim ſi tales, creſcere deſierunt, ita, ut huic negotio perficiendo non amplius abundantia ſanguinis indigeant, Vivunt tamen in diæta lauta, & ſpirituoſa, novumque ſemper ſibi progignunt ſanguinem, nulla aliqua vehementiori motione ſuſcepta; hac ratione in nonnullis hæmorrhoides vel impediuntur, vel in aliis hæmorrhoides nondum expertis penitus omittuntur, ſed loco talium hæmorrhagiarum omiſſarum cumprimis in pedibus dolores ſpaſtici, ſtrictorii, lancinatorii excitantur, & quidem talis motus ætati conformiter contingit, dum in primis ætatis annis congeſtiones ad caput, in juvenili ætate ad pectus, & in ſenectute magis ad inferiores corporis partes fieri ſolent; Equidem in pedibus non modo hi dolores exiſtunt, ſed & in manus, linguam vel ipſam cervicem penetrant. Quod vero plerumque accidit,

ſi podagra exacerbata, vel per ineptas medicationes repulſa, ubi eandem ob cauſam, quod ex originario loco ſuo in alias corporis partes laceſſita, ibi tales commotiones, quæ ætate provectioribus conformes neutiquam ſunt, cauſatur, lethali, eventu decurrere poteſt. Hac ex cauſa & vi hujus obſervationis non multum abhorreo ab aſſertione eorum, qui negant, ex ſalſa tartarea materia & acri podagram ſolitarie naſci; quod ſi enim res ita ſe haberet, podagra in ſupra nominatis regionibus Miſnia, Thuringia, Auſtria frequentior, quam in Italia & ad Rhenum eſſe deberet, quod hujusmodi cauſas magis ibi animadverti antea oſtendimus; cum contra effectus ex potu vinorum generoſorum & ſpirituoſorum maxime ad negotium hæmorrhagicum tendit, cum eoque connexum eſt. Non inficiari quidem poſſumus, podagricos utplurimum calculoſos eſſe, at hic calculus potius ob conſenſum partium & motuum exoritur, atque adeo ſymptomatici magis habendum, quam idiopathici quid. Qua de materia meretur imprimis legi *D. D. Præſidis Epiſtola de Podagra ſine ſale.* Curam podagræ quod attinet, merito hunc morbum inter ſcandala Medica referas; quod Medicatio huc usque nulla datur, qua podagra radicata fundamentaliter extirpari queat; quicquid eſt, quod contra eam uſurpatur, eo accipiendum, ut iis lenimentum modo dolorum atque mitigatio tentetur, nullo vero modo morbus exactiſſime medicabilis exiſtimetur. Qui ad hæmorrhoides inclinant, aliquod tempus vero eas interruptas habuere, levamen eſt, ſi tempeſtive appareant. Alias nec in Perſia in urbe Schiras, ubi pariter vina generoſa producuntur, non exigua podagricorum multitudo reperitur.

§. VII.

In terris ad mare Balthicum germanicum ſitis ceu Pomerania, Weſtphalia, Belgio, Dania, Curlandia, Norwegia, Scania ob frequentiſſimas maris exhalationes humidus

midus refrigeransque valde aër, eſculenta vero inhabitantium, quorum potiſſima pars emolumentorum ſuorum conſiſtit in pratorum ditionibus cum pecuariis, quod præſertim Iutia, Friſia & Weſtphalia teſtantur, ſunt caſeus, butyrum, caro ſalita atque fumo ſiccata, piſces, & qui in Weſtphalia datur, crudus panis; potulenta quod attinet, Spiritus vini creberrimus eſt uſus.

## §. VIII.

Quibus in terris qui degit, neque robuſtiori corporis conſtitutione præditus, neque continuis laboribus, conatibus atque motibus occupatus eſt, ſed placidum potius peragit vitæ genus, & ſine ullo diſcrimine & ſcopo hoc victu utitur, vix immunis ſemper permanebit a durioribus morbis, ſed potius cum Scorbuto, qui ibi regnat, tanquam cum capitali & hæreditario hoſte ſuo ei continuo erit pugnandum. Etenim aër, cibus & potus maxime idonea ſunt ad hunc morbum producendum media. Per duros namque & concoctu difficiles cibos impuri & crudi ſucci in corpus inducuntur, ſtomachus debilitatur, nimium Sal, quod & comeſtione ſalitorum piſcium, carnium & caſeorum in ſanguinem invehitur, nimium ſeri pernicioſi & inutilis gignit, neglectus faciendæ motionis, frigidus humidusque aër crebraque Spiritus vini potatio Sanguinem reddit craſſiorem, liberamque ejus circulationem motumque impedit, ex quibus conſequenter ſymptomata illa, quæ in ſcorbuto tam propter vitia quantitatis quam qualitatis apparent, deduci poſſunt. Præter has terras laborant ſcorbuto, qui temperamento laxo phlegmatico gaudent, & cumprimis aliquandiu navibus, & prima quidem vice trans æquatorem vel li-

neam æquinoctialem vehuntur, idque inde evenit, quod plerumque in navi præter humidum morbidumque maris aërem viliſſimo quisque cibo ac potu contentus eſſe debet ita ut, ſi in certas quasdam regiones pervenitur, interdum in aqua communiori dulci potui deſtinata, copia Vermium reperiatur, quod non aliunde quam ex hac cauſa proficiſci mihi videtur; ſi nimirum aqua communis dulcis, jam per aliquod tempus navi vecta, æquatorem conſecuta ſit, ingentique æſtu afficiatur, aqua neceſſario putrefactioni ſubjicitur, generatque tales vermes, qui non tam facile iterum inde ſeparari poſſunt. Et tamen nihilominus in mari coguntur talem deterioratam aquam adhibere ad ſedandam ſitim coquendosque cibos, cum aqua marina frui impoſſibile eſt, cum ſalibus referta, refertiorque magis fiat, quo proximius ad Lineam devenitur. Contra Scorbutum vero creſcunt in his terris plerumq; ſpecifica ſubſidia & herbæ antiſcorbuticæ, nempe Cochlearia, Naſturtium, raphanus, ſynapi, quæ una cum diæta aromatica in genere pro ſcopo diſcuſſorio præſtantiſſimum ſuum in diæta uſum exhibent, quod ſi enim impuritates legitimo modo evacuentur, diſcutientia & roborantia ſumme utilia ſunt; tanquam præſervatio vero motus & labor corporis, aëris mutatio, diæta & proportio inter edendum bibendumque, & contra humidum valde frigidumque aërem provida præſervatio optimum eſt remedium. Ex hac conſideratione facile pateſcit cur in ejusmodi regionibus febres chronicæ, præcipue quartanæ peſſimi moris, tumores contumaces partium glanduloſarum, & in plethoricis peripnevmoniæ facile lethales oboriantur.

§. IX.

In Carinthia, in Pyrenæis & Alpium montibus, ad Bergamum in Italia, nonnulliſque in locis Indiæ aquæ inveniuntur, quæ ſubtiliſſime ſolutam terram limoſam lapidi-

ficam

ficam ſecum conjunctam habent, quam incolæ ibi, meliori carentes, ad uſus ſuos applicant.

§. X.

Diverſarum aquarum, fluminum & fontium variæ virtutes & effectus, hujus nobis fidem faciunt, quod multas hujusmodi aquas dari novimus, quæ magis perſpicua ratione quam modo dictæ, qualitate ſua vel neglecta in lapides commutandi vel cruſta lapidea ſuperinducendi rem nobis hanc ob oculos ponunt. Quem enim latent miratu dignæ figuræ, quas in ſpecu Baumanniana obſervari licet in famoſis iſtis ſtallactitibus. Idem teſtatum faciunt rotundi iſti globuli & cruſtæ lapideæ, quæ in Thermis Carolinis formantur, item ii, qui in Lithographia Oolithi audiunt, ſingula quoque granula, quæ in montibus Carpathicis inveniuntur; præterea ita dicti confetti di Tivoli in Lithographia noti, monorchites, biorchites, triorchites atque alia, juxtaque hæc plures alii fontes parum noti, iisdem effectibus præditi, ut ſunt fons ita dictus Poëtarum Francofurti ad Viadrum, fons Befortii in Sundgavia, fons Tigurenſis, Petrogorii Aquitaniæ, Claromontii atque alii diverſi complures. In hiſce igitur aquis cum talis evidens effectus ſeſe exerit, in illis contra §. priori adductis hæcce qualitas non adeo ſeſe manifeſtat, ſed demum, iſtæ poſt multum earum uſum noxam ſuam produnt, ubi ſubtilem terram limoſam relinquunt, glandulisque colli obſtructis, tumorem formant, qui Struma audit. Conteſtari autem hic ſimul debeo, non eo a me hoc confirmari, quod omnes ſtrumas ab hac cauſa ortum ſuum ſumere exiſtimem; nullo modo; hæcce enim deformitas ſæpius vitio magis motus, quam materiæ e.g. a ferendo graviora onera, vehementi clamore vel diſpoſitione hæreditaria eſt contracta. Similis fere affectus frequenter in Peru deprehenditur, ubi in diverſis corporis humani partibus perſertim in facie rubicundis excreſcentiis homines deformantur.

§. XI.

§. XI.

Inter alios adhuc ſingularium effectuum fontes duo quoque notatu digni ſunt ad Eperies in Hungaria, ex quibus hauſtam potionem vita privare dicunt. In Inſula Chios quis datur, qui cum riſu Sardonio vel ſpasmo cynico hominem enecat. Propter optatum vero effectum celebres ſunt thermæ Carolinæ, Emſenſes, Wildbadenſes, Aquisgranenſes, Wolckenſteinenſes, Teplizenſes, & Uberlingenſes, pariter Pyrmontenſes, Schwalbacenſes & Goppingenſes acidulæ. Porro notatu digni ſunt ad Francofurtum ita dictus Faul-brunn, qui cumprimis in calidis morbis multum expedire dicitur, nec non memorabilis eſt alius eadem in regione ſitus, quem ſcabiem ſanare perhibent; quam eandem virtutem fonti cuidam Friburgenſi tribuerunt; ſic in Sicilia & Hiſpania ad Auriam dantur fontes, quos ajunt fœcunditatem comparare poſſe. Idem hoc prædicandum de quibusdam fontibus Græciæ, quos memoriam demere vel tribuere poſſe ajunt. Idem tenendum de flumine aliquo in Peloponeſo, ſeu Morea, quod dicitur anigrus, contraque eryſipelas laudari ſolet, ſed tamen quæ fides his præſtanda & qua ratione aqua tam mirificos effectus nanciſcatur, id Medicis iis in locis verſantibus, ope multorum Experimentorum eſt explorandum. In hujusmodi aquam examinibus celebres ſeſe fecere *Excell. D. D. Hoffmann. in Tract. de thermis Carolinis* & diverſorum aliorum fontium examine, *conf. etiam Illuſtr. Dn. Archiater Stahl in diſp. de Fontium Salutarium uſu & abuſu.*

§. XII.

Apulia in Italia magnarum aranearum ſingulare quoddam genus alit, Tarantulæ quæ audiunt, & ad urbem Tarantum præſertim magna copia affluunt; hæ araneæ ſubtile quoddam & naturale venenum recon-

reconditum habent, ut ſi quos pungunt, ii ſtatim varios prodigioſos geſtus faciant, mox plorantium, mox ridentium, mox clamitantium, mox placide iterum ſe habeant, atq; talibus corporis motibus tam diu pergant, usque dum animam exſpirarent, niſi debito auxilio remediisque huc pertinentibus mox iis ſubveniatur. Tria vero ſunt genera Tarantularum tam quoad colorem, quam quoad effectum; quæ albicantes pauliſper ſunt, pernicioſum adeo effectum non cauſantur; alterum genus ſtellatum nempe deterius eſt, uveumque vero pro peſſimo habetur. Ex celeberrimorum Medicorum obſervationibus hæ araneæ tantum in Apulia adeo noxiæ ſunt, & quidem æſtivo tempore, cum magnus æſtus exiſtit, ſi alios in locos transportantur, non modo ibi, ſed & paululum frigidis anni temporibus in Apulia ipſa non tantum per eas periculi imminet, in hyeme vero ſubter terram ſe condunt, atque ibi ita ſine ullo cibo commorari dicuntur.

§. XIII.

Quod modo dicti lepidi geſtus ex ſubtili veneno oriantur, notum quidem eſt, ſed quæ poſſibilis ratio ſit, ut ne-

ceſſario inſequi debeant, cur & quomodo certi Toni muſici melius ſpecificum & antidotum quam ordinaria alexipharmaca & antidota hoc in caſu ſint, abſtruſior hæc ſubtiliorque eſt cauſa, nec prius concipi aliquatenus poteſt, quam ſi huic alii mirandi effectus naturæ, quorum cauſæ evidentiores iisdemq; multum ſimiles novimus, opponas. Quo fine ſequentia poſſunt exempla parallela adhiberi: Conſtat, ſonum nil aliud quam motum tremulum vibrativum eſſe, qui in aëre contingit (in vacuum enim nullus ſonus cadit) & eum quidem per non parvam diſtantiam propagari poſſe, quod ex innumeris modis ſatis patet. Sic & experientia teſtatur, talem motum tremulum in infinitum tam quoad modulationem & vibrationem, quam etiam quoad effectum ſuum variari; etenim aliam vibrationem efficit loquela, aliam ſtrepitus aquarum, aliam ſubtile vel martiale inſtrumentum, aliam ſonitus æris campani, vel ejaculatio tormentorum majorum & ventorum ſtrepitus, qui motus quoque ſæpius notatu dignos effectus producunt, ubi ſimul diſcrimen faciendum, ratione materiæ quantitatis vel qualitatis, in qua motus hujusmodi exercetur; Nam e. g. ut ſubtiles vapores expellantur, lenis ventus vel halitus jamjam virium ſatis habet. Ut chorda inſtrumenti moveatur ad ſonum reddendum, alterius inſtrumenti æqualis ad illos ſonos correcta atque conſona fides capax eſt, eadem cum illo in aëre formata modulatione. Ad arcendos in aëre aqueos graviores que vapores, vehementior requiritur ventus, & ut copioſæ nitroſo ſulphureæ particulæ in aëre, ſi hic rarefit, retentæ, reſolvantur, deſiderant vehementiſſimum ſuccuſſatorium tonantem motum, qui naturaliter in aëre, & artificialiter cum fortiori campanarum ſonitu, & tonitru tormentorum efficitur; ut vero etiam de qualitate pauca afferam, minori vi ad motum rapi poteſt rota vel globus, quod hic præſertim ſolido fundo careat, & tantum unico puncto inſiſtat, atque adeo, peripheria undiquaque a centro ſuo æqualiter diſtante, ſemper quaſi in

ſi in æquilibrio conſtituatur; e contrario nonnunquam potentior ventus vel motus vix minoris momenti corpus, quod impulſum a motu ſecundum angulum obliquum accepit, de loco in alium promovere non valet. Præterea obſervatur quoque, ſonum in inæqualibus, ſalebroſis & confragoſis locis uti in pannis, plumis, evaneſcere, e contrario in planis, æqualibus & perpolitis rebus clariſſimum ſonitum & diſtinctum Echo edi, quemadmodum hoc in Tubis acuſticis ſtentrophonicis & Muſicis repercutiendo echo ex aquis, montibus, ſylvis, arcuatis conclavibus animadvertimus; quod pariter conſtat ex vulgari illo experimento, ſi claro fortiterque ſonante inſtrumento ſonus ille, quo proxime adſtans vitrum præditum eſt, producitur, id pariter clare ſonans, tremulumque poſſe effici, imo omnino per vim ſonitus peſſundari & diſrumpi.

§. XIV.

Poſtquam igitur ex hiſce præmiſſis cognitum eſt, quam multipliciter objecta & materiæ, qua quantitatem & qualitatem differant, tot & tam multiplices motus aëris eſſe debere, quos talia corpora motui dare oportet, prætereaque ſcimus, venena ob diverſitatem certas partes vel ſolidas vel fluidas corporis noſtri motui ſubjicere, viqve hujus certos morbos in machinam humanam inducere. (de quibus conſulendus *Excell. D. D. Frid. Hoffmann. in veræ patholog. fundam. ubi in variis capit. hac de materia diſſeritur.*) Ita & mihi videtur aliqua ratione concipi poſſe, cur Muſica & quidem ex hac varii ſonitus contra ſubtiliſſimum venenum Tarantularum tantopere expediant, & lepidi adeo hinc inde actus Tarantatorum fluant. Nam quando Muſici talem eandem vibrationem ſubtilem aëris ope inſtrumentorum efficiunt, qualem habent fibræ nerveæ, quæ veneno infectæ, extenſæ quaſi & mobiles redditæ ſunt, neceſſe eſt propter connexionem harum fibrarum has quoque partes, integrumque corpus hominibus moveri, & prout qualitas fue-

E 2 rit

rit veneni aut pars quædam nervea ſubtilior vel robuſtior læſa ſit, tali ratione & ſonitum inſtrumenti comparatum eſſe debere, præſertim cum ſcriptores referant, non idem inſtrumentum omnibus, ſed diverſis diverſa inſtrumenta eſſe applicanda, & quales humores vel Temperamentum hominis ſint, tales quoque actiones provenire. Natura etenim & indoles hominis quæ alias eſt, ea & hic proditur. Quod ad medicationem attinet, una cum famoſiſſimo illo remedio ſaltationis paucis intermixtis intervallis per continuos 3. dies ad diaphoreſin promovendam adhibitæ; illo ipſo quoque tempore ceſſationis a ſaltando, tam ante quidem quam poſt, ſcarificatio præmittitur partis affectæ, atque alexipharmaca in eſſentiis exhibentur. Ad quod notandum quoque, nunquam hocce malum omnino tolli poſſe, ſed ſingulis annis ſuo tempore regreſſum, eandem medendi methodum requirere.

§. XV.

Iisdem in regionibus rationem fere eandem habet cum ictu ſcorpionem, ubi contracta ab ipſo hujusmodi generis ſymptomata eodem ſaltationis & diaphoreſeos medio tolli oportet. Contra hunc ictum ſpecificum novimus oleum ſcorpionum, vel in ipſo momento, ubi ictus perſentiſcitur, ſcorpio ibi deprehenditur, ejusdem ad partem affectam affrictionem. Quoniam ſcorpiones quoque libenter in lignis commorantur, plurimi, ſi tales beſtiæ forte gignuntur, ut immunitatem ſibi ab earum ſævitia procurent, ferrea cubilia exſtruunt. Hæc animantia produnt etiam noxios ſuos effectus Amadabati in India, in Perſia, cumprimis Kaſchani & in Java Indiæ orientalis. De Scorpionum & Tarantularum ictu meretur præcipue evolvi *Georgii Baglivi Diſſertatio de Anatome morſu & effectibus Tarantulæ. D. D. Præſidis Prax. extempor.* & *Franckenau in Sat. Med. p. n. 495. ſeq* In America quoque datur genus quoddam inſectorum pulicibus non abſimile, quæ communi malo incolas

pere-

peregrinosque multis vexis perſequuntur; contra quæ inſecta, quod terræ adhæreant melius medium non eſt, quam quod nudis pedibus non incedendum ſit, vel ſi quæ læſa pars ſit, proluatur, oleoque perungatur.

§. XVI.

Quamvis maxima pars Poloniæ, Hungariæ & confinis illi Ruſſiæ fæcunditate terræ gaudeant, nec inopia alicujus rei laborent, inquilini tamen horum regnorum commoditatibus atque libidinibus vitæ ſeſe corripi neutiquam patiuntur, ſed potius incultum & vagabundum vitæ genus peramant; accedit, vulgum plerumque in Oeconomia, amictu, victu & mundatione leviorem negligentioremque eſſe; ſic enim in Lithuania ſæpius unico conclavi integra familia una cum pecoribus invicem contineri dicitur.

§. XVII.

Quod ſi jam ſequentes circumſtantias perpendamus, terram ex parte calidam eſſe, incolas mobilis velocisque indolis eſſe, plebem una cum pecoribus habitare, quam ratione neceſſe eſt eos pulvere & ſudoribus quaſi operiri, cumprimis ubi æſtivo hybernoque tempore vittis inſtructi ſunt, poſthabitaque mundificatione corporis omnem crinium ordine diſponendorum curam omittunt; cauſa eo ipſo conſtat, cur Poloni frequentius quam noſtri plica ſua Polonica infeſtentur. Sudor enim colligitur, defluit in crinibus, pulvis defixus hæret, & in extremitate cri-

nium, ubi materia dimidiam partem exſiccata inter ſe glutinat, taleſque nodos format. Hoc genus comarum etſi cum legibus naturæ in corpore non conveniat, tamen ſecure amputari non poteſt; nam cum ſemel a natura motus diaphoretici excretorii eo directi ſunt, per diſſectionem fieret ſubita alteratio, unde capitis dolores atque in genere congeſtiones ad caput promanant. Pro ſpecifico his in terris utuntur Lycopodio & quidem in potu & externis remediis, imprimis vero in balneis capitis, & pro ſcopo derivatorio mercurialia recipiunt. Permulti quidem cauſam plicæ Polonicæ potui fluvii Viſtulæ attribuere conantur, quod hic fluvius materiam gelatinoſam ſecum ferat. Sed cum ambages, quas materia hæcce gelatinoſa usque ad extremitates capillorum facere debet, nimis amplæ mihi videantur, non quidem hanc opinionem, cum deficit ſufficiens experientia, penitus inficiabor, interea vero magis prioribus cauſis aſſentior, conceſſæ tamen nihilominus eo, quod non omnino ſolum ex hiſce cauſis plica Polonica, verum etiam quemadmodum & alii morbi ex diſpoſitione hæreditaria derivari poſſit.

§. XVIII.

Melita id ſingulare habet, ſolum hujus inſulæ peralbum eſſe. In Ægypto Biledulgerid, Saara atque iſtis regionibus e contrario ob rariores pluvias tam copioſa eſt arena, ut ſi vehementior cooriatur ventus, ea ſuperque elevetur, atque integræ ſocietates, ne cooperiantur, & ad unum omnes ſub ſabulo ſepeliantur, vereri debeant; in urbibus vero utpote Cairi multitudo pulveris in calido Cli-

mate

mate & non conſtratis ſaxis ſilicibusque viis hominibus non poteſt non valde moleſta eſſe.

§. XIX.

Lectura librorum lucente luna, ſubita mutatio lucis & tenebrarum, fumus creber, intuitus ſolis, ignis vel clarorum alborum colorum, frequens ventus, multus calor pariter ac humiditas oculis appropinquata, pulvis &c. ejusdem indolis ſunt, ut partim infirment aciem oculorum, partim plane vitium ipſis morbumque cauſentur, id quod experientia corroboratum ſatis firmatumque eſt. Sic igitur cum e. g. in Inſula Melitenſi ex arena alba radii luminares, in Ægypto vero ſæpius ſubtile ſabulum in oculos projiciuntur, ex illis oritur hebetudo, ab hoc vero lippitudo oculorum provenit, qui affectus tam proprius his terris eſt, ut inter decem vix unum oculis ſanum reperias; contra quod malum vero illuſtrioris conditionis homines in Melita præſervationis loco perſpicillis viridibus vitris ſibi præcavere coguntur; in Ægypto vero inprimis in Biledulgerit contra hanc calamitatem pinguedine Struthionum, utuntur, quod ſcopo emolliente & leniente multum inſervit, præter quod etiam ex oculis refrigeranti aqua ſabulum proluere juvat. Alias etiam poſſibile eſt, ex deglutitione multi pulveris pleuritidem & peripnevmoniam, qua præcipue inquilini Novæ Hiſpaniæ & regni Mexicani adfecti laborare ſolent, oriri. Ophtalmia & debilitas viſus pariter in Armenia, Media, Bantam, Amboina deprehenditur.

§. XX.

Littora Africæ ad mare mediterraneum, quæ ob incolarum potius quem terræ qualitatem barbariæ nomen adepta ſunt, juxta ingentem æſtum multis fluviis irrigata, po-

pulis

pulis quam plurimis inhabitantur, terræque & agrorum ea bonitas felicitasque eſt, ut uvas Damaſcenas, aurantia, dactylos, mala citrea, pepones largiter procreet, quos ultimos inprimis inquilini loco refrigerationis copioſe comedunt.

§. XXI.

Cum poſt concitatam motionem vel in nimio æſtu adhibiti potus & fructus refrigerantes nunquam ſe probaverint, multo minus ſalutares effectus reddiderint, idem in his terris accidere ſolet, homines æſtu ardentes abundanti fructuum refrigerantium comeſtione, atque beneficio frigidiorum noctium refocillationem aliquam quærentes, tranſpirationem multum in modum reprimere, ſanguinem ſtagnantem efficere, & per acidam refocillantemque horum fructuum qualitatem Colicam, Diarrhæam, Dyſenteriam ſibi in corpus inferre, qui morbi hiſce in regionibus funeſto eventu finiuntur, quibusque Rhabarbaro, ſcopo evacuante & juxta hoc adſtringenti reſiſtitur.

§. XXII.

Quemadmodum igitur in hactenus adductis theſibus ex diverſis notionibus Geographicis vel qualitatem terrarum & incolarum oſtendi, qua ratione & modo Medicus ea conſiderare, ex iisdemque concluſiones ſuas deducere, & ope illarum judicium ſuum formare poſſit; Ita adhuc multa alia huc facientia adduci poſſent; ſed quoniam fere tot multiplices ſingulares affectus & morboſæ conſtitutiones dantur, quod terras & provincias numeramus, atque hinc non modo nimis prolixum foret, omnia hic perſequi, ſed etiam plurimorum medicorum obſervationes ſolidæ requirerentur, merito his acquieſco, ſufficietque mihi, quando aliquot morborum paſſim dominantium, ſummariam mentionem fecero.

§. XXIII.

Exempli gratia, qui in Cyprum contenderunt, & inprimis Famaguſtam ingreſſi ſunt, calidis febribus corripiuntur. In Gallia Narbonenſi Hydrocele, in Ægypto vero Sarcocele non infrequens eſt. Medinæ, quæ eſt urbs Arabiæ, ut & in Ægypto, in inſula Ormo, in Gamron & Laor in Perſia, & in Guinea Africæ vexantur homines affectu, quo ipſis vermiculi in carnoſis partibus generantur. In Kilan in Perſia Hydrope laborant, in Kaſchan lue venerea. Apud Æthiopes variolæ & morbilli ſedem ſibi fixam conſtituerunt, unde ad nos quoque deſcenderunt.

§. XXIV. Plures affectus ſub examen medicum revocandi, quorum cauſæ æque ac curæ maximam partem erui opus habent, ſequentes exempli loco erunt, & qui quidem in America animadvertuntur; ſic ad Braſiliam *in Inſula Ferdinandi* arbor eſt, quæ, ſi tangitur manu, hacque ad faciem pervenitur, dolor oculorum atque debilitas inde provenit. Idem fere effectus producitur arbore pomifera *in Inſula Hiſpaniolæ & Cadegâ*, cujus mera tantum umbra oculorum aciem atque ipſum etiam hominis intellectum depravat & corrumpit. *In Hiſpaniola & nova Andaluſia* dantur quoque arbores, quarum folia cum tangunt hominem, vel in ipſum præcipitantur, tubercula efficiunt, quornm indoles valde venenoſa, imo fere peſtilentialis naturæ. *Porro in inſulis Antillibus* vel canibalibus creſcunt arbores pomiferæ, quarum ingeſta poma comeſtores ita dormientes reddunt, ut vix inde rurſus ex ſomno excitari poſſint, in aquam præcipitata, eam & quicquid ibi eſt, veneno inficiant, ſub cortice contentum lac inflammationem oculorum & intumeſcentiam corporis operetur, quod ultimum umbra tantummodo arboris acquiritur.

§. XXV. Inter noxia animantia memoratu dignus perniciosus maxime ſerpentium, ut audiunt, corallinorum

morſus, qui brevi tempore hominem interficere poteſt; Serpens, dictus Klapper-Schlange in Congo, quod eſt in Africa; animal Maritacaca dictum, cujus ita virulentus flatus eſt, ut ſi curſu venti verſus venatorem impellitur atque propagatur, veſtes & arma inficiat, vehementesque capitis dolores, vomitus atque animi defectus conciliet, certa ſpecies quædam viperarum in America, quarum morſus homines & animalia enecat, quarumque vapor & halitus ita penetranti veneno pollent, ut ſaltem per tactus baculi hominem inficiant. Præter hæc datur quoque in Africa ſpecies quædam parvorum piſcium, quibus contrectatis tremor membrorum exoritur; in Ægypto inſolens quidam piſcis Torpedo dictus, qui ſuper ipſum natantes alios piſces ſurdos, & contrectantem ſe rigentem reddit; pariter notandus piſcis in Aſia ſub Turcica ditione, cujus ingeſtio homines æque ac animantia vita privat, ſilentio præteritis compluribus aliis miratu dignis creaturis, quarum paſſim magna copia invenitur. In hujus argumenti titulum quoque referri poſſunt virulentæ illæ & noxiæ herbæ, quæ in terris noſtris procreantur, ut ſunt præcipue Cicuta, Hyoſciamus, Cynapium, Napellus, Solanum, Solium temulentum.

§. XXVI. Dum Medico, cui ratione morborum indagatio indolis alicujus regionis penitius ſuſcipienda curæ cordiq; eſſe debet, magis res homini noxias, quam ipſi ſalutares detegere convenit, quoniam cauſam morbi noſſe, plurimum in cura feliciter peragenda valet, eo fine in non paucis hactenus agitatis theſibus noſtras ſuper diverſas morborum endemiorum cauſas obſervationes poſuimus, adjecta ſemper de iis noſtra epicriſi. Cum vero non ſufficiat, cauſas morborum perſpectas habere, ſed etiam de inventione & excogitatione idoneorum contra illos remediorum ſolliciti eſſe debeamus, non incongruum fore exiſtimo, ſi quæ ſingulares curandi methodi, vel ſalubriores res & ſubjecta hoc vel illo loco in uſu ſint, eorum aliquot recenſeam, & denique ſub extremum hujus

differ-

diſſertationis *loca natalia* remediorum in materia medica no-ta appendicis loco & tanquam Geographiam Medicam; enu-merando principalia ſimplicia, adjungam.

§. XXVII. Inter terras, quæ præ aliis ſalutari aëre gaudent, celebres ſunt *Florida, California, Hibernia*, quam pariter vene-noſis animalibus omnino deſtitui perhibent; *Melita*, ubi plu-rimorum fere ſine ullo morbo graviori tota peragitur vita; *In Zaara* Provincia quadam Africæ & in *Tabris* in Perſia tam ſalu-tifer aër exiſtit, ut aliis locis valetudine adverſa correpti, eo ad ſanitatem ſuam reſtituendam perducantur. Americani *fe-brem depellunt* immerſione in aquam frigidam, & rurſus exſic-catione apud ignem; *luem veneream tollunt* tanquam ſpecifi-co quodam, dum paululum de ſcuto animalis Armadie dicti contritum aqua ſalviæ ægroto ingerendum dant; *debilitatem viſus & intellectus* ex attrectatione ſupradictæ arboris conci-liatam pari tactu & illinitione foliorum alius arboris in vici-nia adſtantis ad oculos applicata reſtituere conantur; *defectus vero ab alia arbore Hiſpaniolana profectos* longiori ſpatio reſar-ciunt; ulcera vero illa virulenta per tactum plantæ alicujus in nova Andaluſia excitata, crebriori abluitione cum aqua ma-rina profligant, quæ medicatio quoque contra morſum vene-noſum animantium in Daria ad Panama uſurpatur. *Contra morſum ſerpentium corallinorum* pariter venenoſum eorun-dem cruda & recens capitis ad partem affectam affrictio com-mendatur.

§. XXVIII. Quod tandem attinet ad ſimplicia, de quibus in materia Medica agitur, & quorum virtutes ex multis hac dere copioſe confectis ſcriptis petendæ ſunt, loca eorum na-talia, ubi copioſiſſime generantur, & unde plerumque ad nos deportantur; (multa etenim inter ſequentia ſimplicia non lo-co ſolum ſignificato, ſed & aliis quoque producuntur) ſequen-tia ſunt in Geographia medica & hiſtoria naturali celebria, & quidem in *Europa* regnum *Hiſpaniæ* propter ſquillam, jujubas, æruginem, granata, hæmatitem, *Gallia* ob radicem Aſphodeli ad Montem Peſſulanum; Gallia *Narbonnenſis* propter Gli-cirrhizam, Tamariſcum, Cretam, & *Brigantium* in illo regno Manna illuſtrat: *Alpes Helvetiorum* celebritatem hac in re-

re habent a radice Anthoræ, Carlinæ, atq; *ipſa Helvetia* a radice Vincetoxici; de largo vero minerarum, argenti, cobalti, ferri, plumbi, & oſteocollæ proventu *Germania* ſibi in genere gratulatur, & in hac imprimis *ſilva Hercynia* radice Mei & argento locuples celebratur. *Auſtria, Stiria & Helvetia* radicem Doronici, Hellebori proferunt, *Stiria* præſertim nobilis eſt propter mineras ferri ſui & radicem cervariæ. *Saxonia* provinciæque ad Rhenum dictamni albi radicem nobis promunt, *Miſnia* pernicioſum Cobaltum, Arſenicum & argentum; *Goslaria vitriolum, Bamberga* radicem liquiritiæ, *Bohemia* lapides pretioſos, Chryſolithum, Granatum, Hyacinthum. Ferax præ aliis *Italia* eſt radice pyrethri, pimpinellæ, malis aurantiorum, Granatorum, citri, Limoniorum, amygdalis, jujubis, Lauri baccis; *Italia & Sicilia ſiliquis*, ſemine agni caſti, Calabria & *Appruzza Manna*, paſſulis, gummi ſtyracis & alumine, id quod etiam *Smyrna* copioſe affertur. *Anglia* multum poſſidet vitrioli, ſtanni, lapidis Amianthos. *Pruſſia* præſertim gloriam de ſuo ſuccino reportat; *Hungaria* cum mineris ſuis auri, Antimonio, Mercurio, Cinnabari & Vitriolo. *Polonia* & *Ruſſia* multum ſalis gemmæ gignit, *Conſtantinopolis* gummi galbani. *Inſula Candiæ* Gummi ladanum, Siliquam, Inſula Chios lignum & reſinam Lentiſci; *Chios* & *Cyprus* Terebinthinam reddunt.

§. XXIX. Aſiæ imprimis magna eſt celebritas ob præſtantiſſima aromata ſua, lapides pretioſos & balſama, atque præcipue hac in re magnum nomen habet ita dictus *Oriens* vel *Turcia Aſiatica* propter corticem Thymiamatis, Myrobolanorum, Opobalſami, Storacis, Tragacanthæ, Scammonium, Terram Tripolitanam, Bolum Armenam; *Arabia* propter coſtum verum; *Arabia atq; India* propter Tamarindos, *Arabia atq; Ægyptus* ob gummi Arabicum, Balſamum verum, Myrrham, Thus, Fabas Turcicas, Ambra, Margaritas. *Mare mortuum* aſphaltum præbet. *Perſia juxta* alia, fructuum ſuorum atque plantarum ubertates multum procreat ſarcocollæ. *Ruſſiæ magnæ* Aſiaticæ debemus Rhabarbarum, unicornu foſſile, Rhaponticum, lapidem Specularem, Jaſpidem, *India* univerſa abundat ligno aſpalato, Santalino, Ebeno, anacardino, Myrobolanis, Gummi Benzoës, Bdellio, Ebore, margaritis, lapidibus pretioſis, Amethyſto, Beryllo, Smaragdo, Topaſio, Opalo, Granato, Hyacin-

tho; littora *Malabarica* in ſpecie radice Zedoariæ, Zingibere, ligno colubrino, nuce vomica, cardamomo, Cocculo indico, *Cambodia* gummi guttæ & laccæ. *Banda* Inſula ad *Moluccenſes* ſita id ſingulare habet, ut ibi nux moſchata cum flore ſuo, quæ dicitur macis, procreetur. *Inſulæ Moluccæ* pariunt caryophillos & anthophillos, *Java inſula* Galangam majorem, Caſſiam ligneam, Cardamonum, cubebas, & *Sumatra* ut & *Malabaria* piper. Aniſum ſtellatum vero ſolummodo ſibi vindicant *Inſulæ Philippinæ*. *Ex China* accerſitur radix Chinæ, Galanga minor, Rhabarbarum, Cortex Chinchinæ, Agallochum; ex *magna Tartaria* Moſchus. Denique *Ceylon* tanquam terra cinnamomifera cum ſuis æque Rubinis & Saphiris; *Japonia* & *Sumatra* tanquam terra Camphorifera maxime fœcunda celebratur.

§. XXX. Africa non minus ſalutares ad Medicinam materias nobis ſuppeditat. *Ægyptus* largitur Mumiam, Tutiam, Caſſiam fiſtuloſam, Sebeſten, Ætitem; *Alexandria* & *Creta* ſemen Amios verum; *Alexandria* in ſpecie Santonici vel Curiæ ſemen & Gummi Sagapenum; *Barca*, Gummi & Sal Ammoniacum; *Mauritania* & *India Orientalis* Gummi Euphorbii. In *Barbaria* magna affluentia eſt dactylorum, & in *Guinea* Aloë caballina & Gummi Bdellium reperitur. Et ab *inſula Zocotora* nacta nomen Aloë ſuccoterina.

§. XXXI. *Americam* ut etiam percurram, non omnino ea talibus deſtituitur, ſed multum ipſi pariter debet materia medica, dum illam non ſolum radice jalappæ & pareiræ bravæ, Saſſafras, nuce Been, & Caſtoreo exornat, ſed etiam notiſſima ibi *Nova Hiſpania & Peru* radicem Chinæ, Saſſaparillæ, lignum Nephriticum, Gummi animæ, Carannæ, & *Virginia cum N. Hiſ. G. Copal.* Elemi, Tacamahacæ, lapidem Nephriticum, Inſula *Hiſpaniola* & *Jamaica*, lignum & Gummi Guajac. *Cuba* & *Jamaica* Cacao proferat. *Inſula Barbados* abundanter nobis tribuit Aloën, *Braſilia Sacharum*, Terra *Magellanica* corticem Winteranum; *nec Peru* nobis celebrem ſuam radicem Contrayervæ, Mechoacannæ & balſamum denegat. Cum itaque ex tanta affluentia ſaluberrimorum remediorum cognoſcimus, immenſam eſſe bonitatem divinam, eandemque ubique inveniri, æquum piumque eſt, ut hiſce ſuis donis ac muneribus in ſui honorem atque ægrotantium reſtitutionem decenter utamur, adhibita omni ratione & prudentia, id quod ſoldiæ Medicinæ, nec non noſtræ hujus diſſertationis, juxta id, quod benevolus Lector me commendatum habeat, rogem, proprius & verus eſto

*F I N I S.*

Sonetto.

84-125
J725
A324d
1-SIZE

*Sonetto.*

CHi mai udì trà noi alto e profondo
Di virtù un ſoggetto, e d 'Eloquenza?
Tal TE dimoſtra, Homann, l' Eſperienza
Di TUA dotta Diſputa à tutt' il mondo.
Felice TE, che ſotto a grave pondo
D' honorate fatiche: hor per compenza
Doni al TUO Stanco Cor degna eccellenza
Et agli amici poi un dì giocondo
VA' lieto in patria homai, che' l ciel T' invita
A riſanar, à ravvivar gl' infermi,
Che ſemi ſpenti ogn' hor chieggon TI aita.
Oh, quanto fia da lor ſommo gradita
La TUA preſenza, a fin che li confermi,
E li rivochi da la morte à vita,

in ſegno di devot. Oſſerv. Servit. hum. vero
Giacomo Paſqualetti, Rom.

---

SIc Hygea dedit metam Tibi tangere honoris,
Et velat doctum nexa corona caput.
Jure quidem: ornatur propriis induſtria donis,
Hæc gemina eſt certe gloria, crede mihi.
Vive tibi longe, vive & cum nomine magno,
Sic virtus pariet ſecla beata Tibi.

Gratulab. cum omni felicitat. apprecat. adjecit
Ludovicus Caliſius, L. L. Cultor.

---

EIn jeder trägt bey ſich das Leben und den Todt:
Doch zeigt die groſſe Welt von beyden gleiche Quellen,
Morbona will ſich ſtets Hygéen zugeſellen;
Wo irrdiſch Leben iſt, da iſt auch Todes-Noth;
Lufft, Erde flößen uns den Lebens-Balſam ein,
Doch können ſie bald ſelbſt ein Tod und Gifft uns ſeyn.
Diß zeigſt du, Werthſter Freund: zu Æſculapens Reich
Gehöre dieſes Rund zuſamt den kleinen Welten,
Drum will Galenus Chor Dir deinen Fleiß vergelten,
Zum Denckmahl, daß Du ſeyſt nun ſeinen Gliedern gleich;
Glück zu denn! lebe wohl! vermehre Deinen Ruhm
Auf dieſer Pindus Höh, zum ſeltnen Eigenthum!

Dieſes ſollte glückwünſchend hinzuſetzen
Jo. Mich. Frantz, L.L. Cultor.